

33928

1096.

SEPU LCHRUM PATENS IN PATERIS,

*Malè temperatam sitim, & Vitam in pota
tumulans Salute*

Olim

In Sigerico Burgundionum Regis Filio, tristi
fato pateticum;
nunc demum

*Ante-cineralibus feruis, in monumentum monens malè cau-
tos seculi Doliophilos, ante fata crapulâ sepultos,*
Scenica Ereptione è theatriali propositum

Umbria;

Ab Oratoria Palæstra Vniversitatis Vln:
Societatis JESU.

Anno Salutis

Sepulchralem Lapidem in monumentū Vitæ erigentis

1687.

Die 22. Februarii.



ARGUMENTUM.

33.928.111.

Sepeliri non solùm gemmis æstimata Regna, verùm & ipsos Reges in pateris; pa-
teticò Burgundia probavit documento. Priusquam enim, in sui Regni corona,
Romani Imperii auxisset amplitudinem; in aviti hærede Solli Sigerico malè nau-
fragam in cyathò Regii Sangvinis doluit jacturam. Hic namq; proprio Paren-
ti de affectato suspectus sceptrò; ut quàm mollissimè perimeretur, dulci captus est in
falerno: Quò eùm se liberalius proluisset, etiam sepultis dulci sopore oculis non er-
ravit ad Sepulchrum; à vigili in sua fata Parente miserè strangulatus. *Vinoq; (*) se-
pultus cervicem inflexam posuit.* Baron: ad Annum 526.

(*) Virgil. Æneid. 3.



PROLOGUS.

ASruanti honorum siti Genio Sigerici, Ambitio è Poculo Fortunæ (antiquis
tus usitato Romanis more) Coronis bibere svadet; Luxus verò ex illo crâ-
tere (quod elaboratum è cranio Nicephori Imperatoris refert Raderus)
lectareum propinat liqvamē; quo captioso illicio captus in capite, pro Prin-
cipe decore, eodem cranio larvatus fatorum labidrio relinquitur; à quibus huc atq;
illuc jactatus, facilemq; impingens in calum, utpote oculis velatis, demum in serobē
impellitur; sicq; bis sepultus, *non sentit damna sepulchri.*

INTERLOCVTIO.

ACTUS Imus.

Scena 1ma. Mars Gothicus, Regno Burgundiæ noviter Catholico, inimicum declara-
turus animum; in ipso pene vestibulo Cœnaculi Regii, belli occidit classicum de-
fertq; Regi cranium humanum seu calvariam; fatalis excidii intentans minas in
hæc verba: *Abscede Regno, nō tuum condi velis caput sepulchro.* Ad tam in-
opinatum nuntium, cum tota Regia, Rexq; ipse consternatus hæreret; Sigericus ip-
se, ne ante pugnam ipso metu vinci videretur; idem cranium de mensa arripiens,
vinoq; replens, ad Internuntios propinat, audenteq; animo reponit: *Dulci Sepul-
chro poterit haud mergi Salus; Non condet, imò condiet mors hæc caput.* Cui
vicissim Internuntii ad cautelam, reverà fatidicè reponunt: *Te citius condet, qui
condis dulce Sepulchrum: è Pateris patiēre tuis.*

Scena 2da. Reduces Internuntios Sigismundus Rex remuneratur ossèâ monetâ (de qua
Abrahamus Ortelius) adjungens: *Hæc capitis pretium est una moneta sui.* Sige-
ricum verò Filium donat aurèâ Paterâ; in præmium magnânimi ausûs in epotando
Vino è cranio humano, voto sibi suisq; ominoso.

Scena 3tia. Decernitur à Sigismundo expeditio in Regni limites; summa potestas rei
bellicæ defertur Machebrordo; interim toto Regno conclamatur ad arma; novæq;
Copiæ legi jubentur.

Scena 4ta. Sigericus urgentissimis apud Parentem evincit precibus; ut instantem ex-
peditionem bellicam, sibi suæq; credat felicitati; frustra Patre excusante: *Dulce
bellum esse, sed inexpertis,* suamq; necdum bellis gerendis maturam ætatem; cujus
demum importunitate victus Rex annuere cogitur; ita tamen, ut Machebrordo
regimen, sibi verò fortunam & felicitatem committat expeditionis.

Scena 5ta. Machebrordus indignè ferens Collegam sibi Puerum designatum, nec minùs
invidens successum fortunatæ (ut sperabat) expeditionis non sibi, verùm Sigerico
utpote auspici, tribuendum, validissimis argumentis à præmeditata expeditione
Sigericum deducere nititur; verùm ubi nihil proficit; ad quæq; pericula subcun-
da, primum se offerente Sigerico; statuit eundem tollendum è vivis.

INTERLOCVTIO.

CHORUS Imus.

DOlus Luxui commensalis letheo liquamine condiens pateras, intemperantiâ
Helluonum, dulci conditam in sepulchro, nempe immerfam cyathis, repræ-
sentat, quæ plenis licet inuans pateris, flammivomi oris haud extingvit æstû,
docetq; urgeri non expleri plenis è cyathis sitim.

ACTUS 2dus.

Scena 1ma. Instituitur armilustrium fidelitatisq; juramentum tam Sigerico; quàm Ma-
chebrordo à militibus præstatur.

Scena 2da. Sigericus accinctus militari expeditioni, ad proximum itineri lucum offen-
dit Ursum alvære depopulantem; monitusq; à Machebrordo sibi fata meditante; ut
siquidem tam prodigus sanguinis heros esset, primiq; se periculis exponendum
promitteret; nunc probaret in bellua Martios animos. Sigericus ferme dicta præ-
vertens, alacer aggreditur belluam, nec minùs facili iectu, Ursum melleæ prædæ in-
hiantem, occupatumq; sternit; gestiensq; gaudio, *Dulce se expertum esse bellum*
gratulatur.

Scena 3ta. Ejus solatii conscium Patrem suum volens Sigericus; favum mellis, quem è faucibus tulit interfecti Ursi, in patera sibi à Patre donata, transmittendum Regi committit Machebrordo, adjecta brevi intimatione literali in hæc verba: *Conjice Sepulchri dulcis è præda Pater, dulce experiri licuit ut bellum mihi:* luculentiorè descriptionem rei gestæ relinquens Machebrordo.

Scena 4ta. Machebrordus sub dulci liquamine tutius venenatos dolos reconditurus; favum mellis intoxicandum curat per Incantatorem, à quo etiam fatidicum audit: *Astus in astu senties mel fel tui.* Deferendaq; tam literas utraq; , quàm favum mellis Verillo uni ex fidissimis Ephebis Sigerici committit.

Scena 5ta. Verillo captus illicio mellis quod ferebat degustandi, ubi illud delibat; in ipso pene aditu Regiæ vi toxici sternitur, illisq; immoritur verbis: *gustans gustâ. vi &c.* Offendit stratum cadaver quidam ex gregariis; sed ne in suspiciônè cædiis quasi à se perpetrata, apud supervenientes veniat, arripiens pateram clam se subducit, cadaver Verilli à cæteris aulae regiæ Vigilibus facillè agnoscitur, literæ pænes illum repertæ ad Regem deferuntur.

INTERLOCVTIO.

CHORUS 2dus.

Genio Sigerici triumphaturo Dolus parat trophæum; desuper appendens crâsterem more apud Scythas victoribus usitato) quod ubi trophæum lætus conscendere parat Sigerici Genius; pensilis ille crater, decidens in suum Caput cõoperit vultum; trophæo subito in tumulum abeunte.

ACTUS 3tius.

Scena 1ma. Sigismundus Rex facillè fidem præbet insimulationi Machebrordi; magisq; in suspiciône firmatur ex involutis Filii sui literis de *dulci Sepulchro.* Autumans itaq; sibi necem per Sigericum parari; dat arcanum mandatum ad Machebrordum, ut Filium suum primis hostium insultibus victimam proponat, paucis stipatum copiis facillè interiturum.

Scena 2da. Expeditum Aulicum cum arcanis mandatis ad Machebrordum observat è latebris profugus cum patera sublata gregarius; putantq; ad se investigandum missum; clam usq; ad hostilem delabitur exercitum; ibiq; pateram venalem proponit: sed facillè pro exploratore habitus, non nisi ossæam illam pro patera reportat monetam, ulterioriq; se subdueturus discrimini, ad suum confugit exercitum; instare hostem denuntiat.

Scena 3ta. Machebrordus in proximum conflictum aciem ordinans, in ipsa pene fronte primorum ordinum locat Sigericum; non tantum non reluctantem, verum ultro deprecantem, ut primo sibi liceat cadere in victimam publicæ Regni salutis.

Scena 4ta. Apparet hostilis exercitus; conelamatur ad arma utriq; Sigericus minoris Athletæ Ducem æmulæ potentæ ad singulare provocat certamen, data sponsione, ut illi Victoriæ palma deferatur, qui illorum Victor duello extiterit. Initur singulare certamen, quo Sigericus victor facillè apparet, validiores icus agilitate eludens. Consequitur strages in Gothico exercitu; captivantur plures, unâ cum illo, qui pateram ossæam monetâ à gregario emerat. Cessante bellicæ concertationis æstu, Machebrordo urgentissime aliquod in siti postulanti lenimentum, Miles captivus Gothicus (conciliaturus ut putabat sibi Ducis favorem) offert pateram cum melle; quod cæca aviditate ori suo ingerens, vi toxici sternitur, suoq; impletum fato illud Incantatoris agnoscit: *Astus in astu senties mel fel tui.*

Scena 5ta. Sigericus tristi fato Machebrordi consternatus, pænâ capitis in auctores tetricæ fraudis, (ut putabat) animadverti jubet. Raptatus ad mortem tam Gothicus miles, quàm ille gregarius, à quo se emisse pateram dixit captivus; agnoscit uterq; *ossæam monetam pretium capitum suorum exitisse.*

Scena 6ta. Sigericus Triumphator redit ad Patrem, plausu excipitur populi, non item læta fronte Patris; qui inaudiens de fatiis Machebrordi, putantq; illum Filii sui fraude occubuisse, consequenter sibi quid simile à Sigerico intentari suspicabatur. Nihilominus dissimulans tantisper dolorem; Pompam triumphaturo accelera-

ri imperat scenâq; hilariori Epheborum saltantium recreandum curat.

Scena 1ma. Sigismundus Regiis dapibus reducem tractans Sigericam, vigil auscultat commodam occasionem Filii interimendi, quam ultro Sigericus, nihil fatale sibi metuens suppeditat; liberalius se vino proluens, lapsusq; salutem propinans, dein, gravatum caput vino sentiens, ubi sopore corripitur; sine sensu miserè à Patre strangulatur, illud expertus ominosum, è patris parere tuis. Sigismundus, lamentante tota Regiâ super tam misero fato tanti Filii, atroxq; tyrannidis factû exprobrante, impos præ dolore, & rubore sui, corruit super cadaver Filii exanimis; vivum in corde daturus extincto Filio sepulchrum, qui cor vivo negaverat; lætuitq; implacabili immerfus lugubrem claudit Scenâ.

EPILOGUS.

INtemperantia cyathis flammis exuberante, helluonum inhiantium patris oculos excæcat; atq; in eodem cyatho eliquans lapidem Troidis (dictum (a) Sarcophagus) propinata salute singulorum vitam extingvit. Religio è Calice salutari & Altaris mensa sequuturo triduo Commensalis hominibus Eucharistici DE I, ad certioris Vitæ, & Salutis obsonia degustanda invitat Sæculi Convivas.

(a) Lapis Troidis (dictus Sarcophagus) quod intra 40. horas totum corpus hominis excædat. Plin: lib: 2. c. 96.

Ad

M. D. T. O. M. G. B. V. M. S. L. O. C.
Honorem.



BIBLIOTHECA
UNIV. JAC. RLL.
CRACOVENSIS

